
1760







D. O. M.

THESES

ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

I.


ATIONIS excellentiâ potiri, facultate ſentiendi pollere, varia Orbis in quo degit miracula contemplari, eorumque Authorem mirari, colere, obſervare, hæc omnia procul dubio maxima reputantur bona quæ poſſint homini contingere. Tot & tanta in ipſum contulit lucis participatio. Iſtam porrò lucis uſuram quâ gaudet, ſecundum Omnipotentem, viro acceptam refert ac mulieri. Liquidò igitur conſtat partes generationi inſervientes, primum inter cœteras locum & repoſcere & merito jure aſſequi. Vigeat ſanè Anatomia quæ ipſas nobis, ſummo humanitatis commodo, intuendas exhibet.

I I.

QUONIAM verò prolixior foret genitalium utriusque sexûs partium explanatio, muliebres duntaxat attingemus, innumerosque earumdem affectus datâ operâ omittentes, de Uteri procidentiâ seu prolapsû agere aggrediemur.

I I I.

DURA admodum ac difficilis morbi species observanda nobis incumbit; quam ut ex artis normâ tractare valeamus, abs re non erit læsarum partium structuram præmittere. Illas autem hîc loci saltem generatìm appellari, videtur exigere theseos nostræ propositum. Sed brevitati, quantum in nobis est, consulentes, responsionibus magis quàm scriptis materiam evolvere conabimur.

I V.

PLURIMÆ numero sunt mulieris partes quæ nobis existendi facultatem simul & felicitatem impertitæ fuerunt. Vulgò dividuntur in internas & externas. Suum quæque situm peculiarem obtinet, suâ donatur figurâ, suis usibus deputatur, suo tandem indigitatur nomine.

V.

UTERI prolapsus, nostræ concertationis argumentum, est tumor contra naturam inter varias Herniarum species referendus. Hæc autem morbi species vel incompleta est vel completa.

V I.

INCOMPLETA quidem, si extùs non promineat Uteri moles, sed ad usque vulvæ marginem tantùm accedat. Completa verò, si de sede naturali dimota moles foris sese præbeat inspiciendam.

VII.

DETERMINATIS suprà Uteri procidentiæ speciebus tertia supervenit quæ nimirùm in eo consistit, ut Uteri fundus infrà dilabatur; quo in casû approximatur fundus ad Uteri orificium, immò & dilatato foramine extùs producitur, tuncque factâ partis inversione, interna Uteri periphæria videtur externa.

VIII.

PLURIMÆ assignari possunt Uteri prolapsûs causæ, tùm externæ, tùm internæ. Enim verò quidquid Uteri ligamenta aut laxat, aut etiam disrumpit, quidquid ipsum adeò violenter succutit, ut è sitû naturali deturbari queat, id omne inter prædicti affectûs causas non immeritò reponitur.

IX.

DILIGENTER ac sedulò exploranti haud difficilis videbitur Uteri procidentiæ diagnosis. Dixi autem diligenter exploranti, ne, videlicet, pro Polypo uterino extùs apparente, habeatur morbus ille de quo agimus.

X.

QUANTUM ad Prognosim attinet, repetitur ab Uteri prolapsûs differentiis, à causâ producente, à morbi tempore, ab ægrotantis seu pravâ seu laudabili constitutione. Non mediocris utique erit auxilii ad inferendam prognosim accidentium natura.

XI.

PRÆMISSIS autem quæcumque propositum nostrum spectant; longè facilior ac tutior existit curationis methodus, quæ quidem curatio ut obtineri possit, tria omninò requiruntur.

XII.

PRIMUM nempè partium in situm naturalem repositio; secundum verò probata in iisdem solidè ac firmiter continendis solertia;

tertium denique efficax tùm adversus præsentia, tùm adversus futura accidentia remedium.

Has positiones, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur* PETRUS DE JEAN, *Carnutensis, Artium Liberalium Magister.*

Dechaufres

PARISIIS.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 26ª Januarii à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam anno R. S. H. 1760.

PRO ACTU PUBLICO

ET MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi, viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ. 1760.